



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Verior suppositionis definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

conceptus mentalis, ad constituendam propositionem circa significatum termini mentalis. Impugnatur etiam: tum quia definitio definitum ingreditur; cum suppositio, ac substitutio sint voces synonymæ: deinde, quia redundat ea particula, ad constituendam propositionem, cum iam dictum sit, loco conceptus mentalis, qui suapte natura ad propositionem instar partis refertur: tertio, quia particula etiam illa, circa significatum conceptus mentalis, eadem ratione superfluit: quarto, quoniam falso supponit terminum supponi pro solo conceptu mentali, & non eius obiecto, vt cap. sequenti constabit: tandem, quia suppositionem actuum mentalium, & insensibilium per voculam illam complexam signi sensibilis, nullo iure eliminat, vt inferius planum faciam.

CAPVT II.

Verior suppositionis definitio.

6 **I**psæ suppositionem verius, nisi fallor, & magis ex illius natura, & inter auctores vsu, sic definitio: *Est positio vnus significati pro alio vi copula enuntiativa termino annexa. Positio est genus, quo conuenit cum propositione, præpositione, & postpositione, quibus plura aut simul, aut cum successione quadam & ordine prioris, vel posterioris ponuntur. Quod subsequitur est differentia, cuius prior particula, nempe, vnus significati pro alio suppositionem facit à supradictis differre: necnon etiam à prolotione termini extra propositionem: ea enim est positio quædam termini pro suo significato, siue sit vnum siue plura, non tamen positio vnus significati pro alio: prolata siquidem hac voce, canis, aliave simili, nec vnum eius significatum potius quam aliud significatur per se loquendo, nec etiam affirmatur, aut negatur vnum potius quam aliud. Per eam particulam, vi copula enuntiativa termino annexa, suppositio differret à restrictione: nam cum dicitur, canis celestis, significatio canis determinatur ad sydus, & hoc præ ceteris significatis sub ea voce ponitur; siquidem per eam non piscis, aut quadrupes celestis significatur; aliàs compositio illa apprehensua exterior suo modo esse falsa: nihilominus ibi, canis, ratione vocalæ appositæ pro celesti non supponit, sed potius restringitur ad cælestem: quoniam videlicet ea appositio, & ex ea resultans positio vnus significati pro alio, neutiquam fit vi alicuius copulæ enuntiativæ: porro restrictionem à suppositione propriè sumptâ differre, & non hanc, sed illam resultare ex adducta complexione duorum terminorum, canis scilicet & celestis, aliave quauis, constans est dialecticorum opinio. Quo autem nostra definitio clarior, & luculentior sit, en eam alijs verbis: suppositio est, qua terminus ita afficitur à copula enuntiativa sibi annexa, vt vnum eius significatum potius quam aliud sit subiectum, vel prædicatum in propositione: aut quod in idem recurrit, est qua terminus vi copulæ determinatur, vt vnum significatum illius præ alio vicem subiecti, aut prædicati subeat.*

7 **O**biicies tamen primò, aduersus traditam definitionem: terminus duntaxat vnum significans, cuiusmodi est homo, v.g. supponit: & tamen vi illius vnum significatum pro alio poni nequit, cum vno, & alio prorsus careat. Respondeo: omnis terminus, aut significat plura ex instituto, vt canis triplicem illam differentiam canum toties repetitam; aut vnum naturaliter, & aliud ex instituto, vt homo vocem, & rem vocatam, omnes scilicet homines, aut plura na-

turaliter, vt blitiri seipsum, & conceptum qui ei respondet, aut etiam reliqua blitiri sibi similia, iuxta inferius lib. 6. dicenda. Quam solutionem egregiè confirmat Chrysippus cuius, vt refert Aulus, Gellius lib. 11. noctium atticarum cap. 12. sententia fuit, omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo, vel plura accipi possunt. Huc etiam faciunt Ascensij verba super eundem Gellij locum: certum est, omne nomen significans rem, qua pingi potest, æquiuocum esse ad rem veram, & picturam: præterea de mentali, aut vocali termino posse loquentem intelligere se loqui. Hæc ille. Neque præter Diodorum cognomento Cronum, cuius meminit Gellius supra, qui contrarium sentiat, vllum comperio. Inò hunc etiam interpretari conatur Ascensus loco citato.

8 **O**biicies secundò; suppositio est affectio termini: at iuxta nostram definitionem non tam esset affectio termini, quam significati per terminum, cum non tam terminus ponatur pro suo significato, vi suppositionis, quam vnum significatum pro alio. Respondeo; suppositio termini passiuè sumi non debet, vt obiectio contendit; aliàs terminus non tam supponere; quam supponi diceretur; contra communem sumulistarum sensum, quos immerito Fonseca lib. 8. cap. 2. & Hurt disp. 2. sect. 1. barbariè inculant; sed potius actiuè, ita vt suppositio sit, qua terminus supponit vnum significatum pro alio, aut si mauis, qua se ponit pro vno significato potius, quam pro alio.

9 **O**biicies tertio, suppositionem iuxta nos esse, qua fit, vt vnum significatum, & non aliud ponatur in propositione, & vel subiciatur, vel prædicetur beneficio copulæ; atqui feri, vt vnum significatum, & non aliud ita ponatur in propositione vel subiectum, aut prædicatum non est poni vnum significatum pro alio, sed poni vnum, & non aliud, quæ sunt longè diuersa: malè ergo definiuimus, suppositionem esse positionem vnus significati pro alio. Respondeo, hoc argumentum solarum vocum litem nobis intartare, de quibus parum curandum, vbi de rebus constat: Quocirca, si voces quibus sumus vsi, displicent, dici potest, suppositionem esse positionem termini, pro vno significato, & non pro alio vi copulæ, id quod etiam supra monitum. Respondeo secundò, voces à nobis vsurpatas satis congruas esse; ac perinde esse, vnum significatum, & non aliud poni in propositione vi copulæ, ac vnum significatum poni pro alio, vi illius: quo loquendi modo vtitur Martialis libro primo epigram. 1. in-

Omnia Casareo cedat labor amphitheatro,

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Id est vnum loquatur, & cætera sileat, ac non loquatur, aut deprædicet.

10 **O**biicies quartò: hac in propositione, *Petrus est ens, vel est aliquid*; Petrus supponit: & tamen non ponitur vnum eius significatum pro alio: hoc est vnum eius significatum potius quam aliud non subit vicem subiecti; sed omnia sunt subiectum, cum prædicatum eius propositionis omnibus conueniat, quæ est eius vniuersalitas. Respondeo, in illo prædicato vniuersali latere plura particularia respectu quorum vnum significatum eius vocis, *Petrus*, potius quam aliud habet rationem subiecti: hoc autem satis est, vt Petrus supponat: Ex. gratia, cū dicitur, *Petrus est ens*, vocula, *ens*, continet substantiam, quæ non de voce, sed de re significata dicitur, & etiam accidens, quod de voce, & non de re enunciatur, nec non accidens spirituale, quod de conceptu, & non de re, aut voce affirmatur. Respondeo secundò, in ea propositione signi

significatum totale poni pro partiali, id est prædicatum dici, & verissime de voce, re, & conceptu, & non de sola re, aut sola voce, siue conceptu; hoc autem abunde esse, vt vnum significatum eius vocis, *Petrus*, ponatur pro alio, parteque subiecti sustineat.

11 Objicies quintò: voluntas imponens vocem aliquam ad significandum quidpiam, eamve faciès signum, vt aiunt, ad placitum, reuera ponit vnum significatum pro alio; facit enim, vt vox vnum potius quam aliud exprimat, v.g. homo hominem magis quam equum: nihilominus ea voluntas, & institutio non est suppositio terminum velut proprietatis consequens: ergo. Distinguo maiorem: voluntas illa ponit vnum significatum pro alio veluti efficienter, concedo maiorem; formaliter siue affirmando aut negando aliquid de vno potius quam de alio, nego maiorem: suppositio autem est non in priori sed in posteriori positione sita, vt ex particula illa, *vi copula enuntiativa*, satis elucescit.

C A P V T III.

Aliarum aduersus nostram sententiam difficultatum solutio: ubi an voces supponant pro rebus vel conceptibus?

12 Objicies sextò ex P. Hurtado disp. 1. sum. sect. 1. & P. Arriaga di. put. 1. sect. 4. & aliis: voces supponunt pro solis conceptibus, non pro rebus; at positio vnus significati pro alio non magis ad conceptus, quam ad res spectat; perperam ergo ita est à nobis definita suppositio: maior suadetur; quoniam, si possemus agere inuicem per actus intellectus, nullatenus vocibus uteremur, qua ratione angeli vocum vsu carent, propterea quod absque illarum ministerio integrum eis sit conceptus suos inuicem pandere; voces igitur loco conceptuum duntaxat substituuntur: deinde si voces pro rebus supponerent, maxime: quia res nobiscum trahere ad colloquium non possumus teste Aristotele 1. elench. at hac ratio inutilis est, cum quisque se secum ferat, & etiam plura à se distincta, videlicet equum, vestem, ac cætera sua secum possit ferre.

13 Enimvero iure merito definitio nostra supponit, voces non tantum pro conceptibus sed etiam pro rebus proprie supponere: primo, quia terminus vocalis supponere potest pro omni eo quod significat, aliàs cur vox, *homo*, pro conceptu hominis supponit, non pro conceptu leonis, nisi quia illum, non hunc significat? sed terminus vocalis haud minus res quam conceptus significat. Rursus secundo, quoniam conceptus supponunt pro rebus, vt constabit inferius: igitur & voces, pro iisdem supponunt. Tertio, quia si quis absque apprehensionibus præuiis inter se distinctis affirmet Petrum v. g. & Paulum distingui realiter; sanè voces pro solis rebus quodammodo supponent, videlicet vt quod, vt aiunt, aliàs propositio erit falsa futura, siquidem conceptus Petri non est id quod distinguit realiter à conceptu Pauli; imo ambo sunt indistincti. Quarto denique, quoniam voces supponere proprie pro rebus etiam, vt docuimus, edocent Aristoteles lib. illo. 1. elench. & cum eo Fonseca lib. 8. instit. cap. 22. Auerſa tract. 2. instit. c. 8. Villalpanus, Sotus, Toletus, locis citatis, & plerique alij Scholastici, tum veteres, tum iuniores.

14 Ad argumentum contrarium respondeo, negan-

do maiorem, propter dicta numero superiori: ad primam eius probationem dicendum est, si res etiam per se ipsas aliis manifestare, & de eis loqui possemus, vocibus nos minime vsuros, haud secus atque pater æternus loquitur, ac se manifestat filio, sine locutione actiua à se distincta, videlicet quia se per se ipsum realiter manifestare potest: proinde eadem ratione, qua voces dicuntur pro conceptibus subrogari, eadem inquam necesse est, eas pro rebus substitui. Ad secundam eiusdem maioris probationem dici debet, Aristotelem benignius & subtilius interpretandum, non de tractione reali & physica, sed de ea qua res aliis intentionaliter representamus, seu præentes facimus, ac manifestamus: in quo sensu verissimum docuit, & idipsum quod in responsione primæ probationis iam iam tradidimus.

15 Objicies septimò, conceptus non supponunt pro rebus; at iuxta nostram definitionem ita supponerent, ea si vera esset; nam positio vnus significati pro alio non magis ad voces respectu conceptuum, ac rerum, quam ad conceptus gratia rerum attinet. Maior probatur ex Hurtado disput. illa. 2. f. 1. §. 8. supponere est facere loco alterius, quod ipsum facere debebat, aut erat facturum: Sed conceptus non faciunt loco obiecti, quod obiectum facere debebat, eratve facturum: conceptus enim cognoscit, obiectum autem non debet cognoscere sed cognosci: quæ ratio non militat in vocibus, quæ pro conceptibus supponunt vel supponere possunt, eo quod faciant vi conceptuum, quod horum proprium est; affirmant enim, & negant, sicut conceptus quibus respondent.

16 Respondeo, conceptus supponunt pro rebus; tum quia suppositio est proprietatis termini: at ratio termini strictissime in conceptibus reperitur: tum quia conceptus significant res: ergo pro eis supponere possunt: tum demum, quia voces pro se materialiter supponunt, cum se si non ex instituto, at certe naturaliter representent: ergo etiam conceptus supponere poterunt pro rebus, quas naturaliter exprimunt. Ad probationem oppositam dico; supponere siue supponi, si hac voce uti manis, non semper est facere loco alterius, quod illud aut facturum erat, aut facere debebat, sed aliquoties est facere, vice alterius, quod illud per se agere nequit: qua ratione species chimæra eius est vicaria, & pro ea supponitur, cum tamen producat actum seu cognitionem, quam chimæra producere nec potest, nec debet: quando igitur conceptus manifestant nobis obiecta, quæ se nequeunt per se ipsa manifestare, mirum non est si pro obiectis supponant. Porro vocum exemplum retorqueri potest; nam voces supponunt pro conceptibus, vt omnes vltro petimusque damusque vicissim: & tamen non faciunt, quod conceptus erant facturi, aut facere debebant, cum conceptus nostri nobis quidem, non aliis affirmant, & negant; voces autem aliis præcipuè negant, & affirmant.

17 In calce sectionis animaduertendum est primo, contra antiquos quosdam summulistas, nomina adiectiua supponere: tum quia termini sunt, ac proinde proprietatem termini in communi debent sibi iure vindicare; tum etiam quia in hac propositione, *Petrus est albus*, nisi vocula, *albus*, supponatur pro obiecto à se distincto, seu re sibi subiecta, propositio erit falsa citra dubium. Animaduertendum secundo, contra recentiores aliquos, non solum subiectum verum etiam prædicatum propositionis supponere, duabus videlicet de causis haud